

## PRAEFATIO.

Quum abhinc annis amplius octoginta Drakenborchius, absoluta Livii editione, quae Stutgardiae ante hos octo annos laudabili sane consilio repeti copta est, de antiquioribus Livii editoribus atque interpretibus docte et copiose disseruerit<sup>1</sup>), mihi quoque, oblata praefandi opportunitate, de iis, qui inde a Drakenborchii aetate Livii Historiarum libris pro virili parte consultum voluerunt, breviter saltem strictimque exponere placuit<sup>2</sup>).

Ac primum quidem satis constat, *Crevierium* non solum eodem fere tempore, quo Drakenborchius ad Livium emendandum atque explicandum operam conferret, maiorem adornasse Livii editionem, codicum Parisinorum opibus instructam, sed etiam paullo post minorem comparasse, quae textum, quem vocant, passim refiectum et novas aliquot coniecturas exhibit, atque ab aliis sine ulla mutatione repetita, ab aliis ad Lallemandi editionem, de qua deinceps dicam, tacite conformata est. *Crevierium* exceptit *Ruddimannus*, qui in edendis Livii

1) In Praefatione, editionis Drakenborchianaæ tomo septimo et ultimo praefixa, p. 2. sqq.

2) Editionum recentiorum titulos cum brevi de singulis iudicio, temporis ordinem secutus, adieci *Drakenborchii Syllabo* editionum præcipuarum T. Livii, Tom. I. p. 62. sqq. editio-  
nis nostræ maioris.

P R A E F A T I O .

ii

libris ita versatus est, ut in compluribus locis, partim auctoritatem codicum a Drakenborchio aliisque collatorum, partim *Kennethi Mackenzie* aliorumque coniecturas secutus, ab recensione Drakenborchiana discederet. Post hunc ad evulgandos Livii libros accessit *Ernestius*, qui, licet textum immutatum ex Drakenborchii recensione exscribendum curaret, optime tamen de Livii interpretatione meruit concinnando Glossario Liviano, quod primum ab editore Oxoniensi, deinde a *Schaefero* ex ipsius Ernestii schedis, denique a memet ipso ex Mülleri et Gersdorffii adversariis emendatum plurimisque accessionibus locupletatum esse constat. Nitidissimam porro eandemque accuratissimam Livii editionem *Lallemandus* paravit et, quum locos permultos, aliorum plerumque coniecturis obsecutus, in integrum restituisset, mutationum omnium rationem in notis adiectis bona fide reddidit. Saluberrimo deinde consilio, dum Livii Historiarum libri cum Freinshemii Supplementis Mannhemii pariter ac Biponti eduntur, *Strothius* Livii interpretationem suscepit, sed morte praematura absumptus, id quod magnopere dolendum est, ultra librum quintum decimum progredi non potuit. In eius locum invita, ut aiunt, Minerva successit *Doeringius*, qui Livii editionem a Strothio inchoatam ita continuavit et circumactis demum tribus et viginti annis absolvit, ut, quum doctrinac alioquin spectatae copiam hac in re desiderari passus sit, utrum Livii ipsius vicem gravius doleas, an editoris negligentiam vehementius indigneris, vix apud animum statuere possis. Atque in eadem fere doctorum reprehensionem incurrit *Ru-*

*pertius*, qui, licet magno hiatu promisisset<sup>3</sup>), sese effecturum, ut, qui sua editione utatur, quacunque alia facile possit carere, praepropera tamen festinatione et temeraria coniectandi libidine tot ac tantis implicitus est erroribus, ut commentarius, quem ex Drakenborchii et ceterorum Livii interpretum annotationibus consarcinavit, vix ac ne vix quidem dignus esset, qui Lutetiae Parisiorum recoqueretur. *Lemarius* enim, quemadmodum in edendis aliorum scriptorum Romanorum libris editorum Germanorum scrinia compilavit, ita etiam splendidae, quam nuperrime paravit, Livii editioni integrum *Rupertii* commentarium cum selectis aliorum interpretum annotationibus inseruit; melius haud dubie de *Livio* meriturus, si textum ad codices Parisinos, quibus in speciem magis quam re vera usus est, diligentius exegisset.

Multo maiores igitur laudes et gratiae sunt habendae *Strothio*<sup>4</sup>), *Iungio*<sup>5</sup>), *Wernsdorfio*<sup>6</sup>), *Osiandro*<sup>7</sup>) et *Seebodio*<sup>8</sup>), qui varias, quas vocant,

3) In Prooemio de *Livii vita et Historia Romana* p. 70.

4) Varietatem lectionis ex codice Veithiano, qui primam *Livii* de cada continet, a *Strothio* excerptam, a *Doeringio* autem in editione recentissima omissam, *Klaiberus* editioni Stutgardensi inseruit.

5) *Ioach. Iungii Specimen lectionum variantium codicis membranacei Liviani seculo undecimo exarati*, qui in bibliotheca Collegii Medici adservatur. Part. I. II. Hafniae, 1783. 84. Hunc codicem postea in bibliothecam Academiae Hafniensis translatum esse, compertum habeo.

6) *Chr. Theoph. Wernsdorf de *Livii* aliquot codicibus Helmstadiensibus, in Novis Actis Societatis Latinae Ienensis*, Vol. I p. 99. sqq. Utriusque codicis lectiones *Klaiberus* editioni Stutgardensi addidit.

7) Variae lectiones e codice *Livii membranaceo Stutgardensi* ab *Osiandro* enotatae, in *Friedemann et Seebodii Miscellaneis* maximam partem criticis, Vol. I. Part. I. p. 168. sqq.

8) Variae lectiones e codice *Livii Cracoviensi* a *Seebodio* ex.

lectiones ex codicibus Veithiano, Hafniensi, Helmstadiensibus, Stutgardiensi et Cracoviensi excerptarunt<sup>9</sup>), ac prae ceteris *Goellero*, qui non solum Livii librum tricesimum tertium multo, quam olim a Carbachio ex codice Moguntino evulgatus erat, integriorem atque emendatiorem ex praestantissimo codice Bambergensi edidit, sed etiam omnem lectionum diversitatem in ceteris, quos ille continet, Livii libris repertam ex eodem enotavit<sup>10</sup>). Quod quum Goellerus, sive tempore exclusus, sive necessitate coactus, raptim nec satis accurate fecisse videretur, ut mihi, epistola de nonnullis libri tricesimi tertii locis ad Goellerum perscripta, codicis Bambergensis denuo inspiciendi copia datur, a Iaeckio, bibliothecae Bambergensis praefecto, qui, qua ratione codicibus ipsi in custodiam concreditis uti sive potius abuti consueverit, editis nuper Horatii et Virgilii carminibus publice declaravit, verecunde quidem, sed frustra contendi. Nihilominus tamen, quum editionis Livii, quam ab Ernestio adornatam esse supra dixi, recognoscendae provincia ultro mihi deferretur, frui paratis malui,

---

cerptae, in iisdem Miscellaneis criticis, Vol.II. Part. IV. p. 634.sqq.

9) Adde nostram Diss. de codicis membranacei T. Livii Patavini Historiarum libros olim complexi fragmento, Norimbergae in biblioteca Murriana reperto. Lips. 1812. et cf. Acta Seminarii Regii et Societatis Philologicae Lipsiensis, Vol. II. Part. II p. 440. sqq. Ex hac codicis lacinia locus Liv. XXVII, 16. emendatus est.

10) T. Livii Patavini Historiarum Liber tertius trigesimus, auctius atque emendatius cum Fr. Jacobsii suisque notis ex codice Bambergensi edidit Franc. Goeller. Accessit Epistola J. Th. Kreyssigii ad editorem et varietas lectionum in libris XXXI—XXXVIII ex eodem codice excerpta. Francofurt ad Moen. 1822.

## P R A E F A T I O.

v

quam oblatam de Livii libris bene merendi occasio-  
nem dimittere; praesertim quum Blümnerus diu-  
turnum codicis Lipsiensis, ex quo Longolius olim  
Drakenborchiorum quattuor priorum librorum ex-  
cerpta submisit et quem postea Ernestius penitus  
excussurus erat, usum mihi benignissime concede-  
ret, atque praeter alia minoris momenti praesidia  
eximum plane et vere unicum necopinanti mihi  
aliunde subministraretur. *Kopitarius* enim, su-  
premus bibliothecae Vindobonensis custos, *Boetti-  
geri* precibus commotus codicem olim Laurisha-  
mensem, nunc Vindobonensem, ex quo *Grynaeum*  
quinque postremos, qui supersunt, Livii libros pri-  
mum evulgasse constat, denuo perscrutatus est at-  
que non solum omnem lectionum varietatem, a Dra-  
kenborchiorum cupidissime expetitam, diligenter eno-  
tavit, sed etiam subinde per epistolas a me rogatus  
de locis compluribus, qui aliquam haberent dubita-  
tionem, codicem lectu difficillimum iterum ite-  
rumque consuluit et singulos literarum apices ri-  
matus est<sup>11)</sup>). His igitur praesidiis adiutus effeci,  
ut, quum textum a Drakenborchiorum ad rationes cri-  
ticas constitutum in prima tertiaque decade ex  
aliorum plerumque sententia passim correxerim,  
in quarta autem decade, libro potissimum tricesimo

11) Quo magis autem *Kopitarius*, licet iterata codicis anti-  
quissimi collatio non plane supervacanea esse videatur, hoc officio  
non me solum, sed omnes omnino Livii amatores obstrinxit,  
eo Lubentius profiteor, verba: *mercedem haudquam spernen-  
dam cum bibliopola liberalissimo pactus*, quae in editionis ma-  
ioris praefatione p. 9. leguntur, non ad eius vituperationem, id  
quod se suspicari per Graefium meum, optimum gratiae recon-  
ciliatorem, mihi significavit, sed ad librariae Weidmanniae, quae  
octoginta septem imperiales in huius rei sumptum erogavit, praef-  
icationem pertinere.

tertio, ac decadis quintae dimidia parte, sive codicium Bambergensis et Vindobonensis auctoritatem, sive coniecturae probabilitatem secutus, locis permultis suppleverim atque emendaverim, Ernestii editio a me recognita novam veluti editionum familiam ducat. Quod quum, tribus editionis nostrae voluminibus evulgatis, *Tafelius* intellexisset, mercenariam Livio edendo ita navavit operam, ut lectiones optimas et maxime genuinas, quas non ex codicibus Bambergensi et Vindobonensi promiscue, id quod ille falso opinatus est<sup>12)</sup>), sed ex solo Bambergensi petitas esse, tam res ipsa, quum hos libros codice Vindobonensi non contineri, inter omnes constet, quam Goelleri liber, quem plane ignorasse videtur, eum docere potuisse, in imo paginarum margine poneret, Heusingeri autem coniecturis, quae, licet hic Livii interpres, qua ratione librarii peccare potuerint, operose et putide demonstraverit, non nisi raro cordatoribus placebunt, in textum recipiendis orationem Livianam mirum quantum interpolaret. Circumspectius quidem rem gessit *Baumgarten-Crusius*, recentissimus Livii editor, qui in textu passim refingendo, uti codicum a Drakenborchio aliisque adhibitorum lectionibus, ita Bambergensis quoque copiis rectius est usus, et, quum typographus (quo iure, ipse viderit) quarti editionis nostrae voluminis plagulas nondum evulgatas illi subministrasset, eos etiam locos, quos codicis Vindobonensis auctoritate emendavi, integriores exhibuit. Sed quum idem pari-

12) In Praefatione enim, tomo tertio praefixa, haec scripsit:  
„Quantam lucem *Kreyssigius*, vir doctissimus, postremis quinque libris e codice Bambergensi atque Vindobonensi adfusurus sit, ex his, quae iam protulit, lacte auspicari licet.“

ter ac Tafelius, ex cuius editione textum, vitiis operarum non ubique sublatis, describi iussit, quibus in locis a Drakenborchii recensione sive mecum sive cum aliis discessisset, non accurate significaverit, atque praeterea, quum ingenii, quo pollet, acumine in hoc labore festinantius profligato uti nolle, ne unum quidem, quantum memini, Livii locum palmaria coniectura persanaverit et in varias erroris ac negligentiae reprehensiones incurrit<sup>13)</sup>), de Livii editionibus horum duumvirorum opera paratis alio tempore ac loco sine ira et studio copiosius exponam.

Praeter eos autem, qui omnes omnino Livii libros ex opere ingenti reliquos ediderunt atque interpretati sunt, post Drakenborchium permulti extiterunt, qui vel de Livii ingenio, de lactea eius ubertate ceterisque orationis virtutibus et fide historica recte aestimanda, id quod *Joecherum*<sup>14)</sup>, *Mirum*<sup>15)</sup>, *Schwabium*<sup>16)</sup>, *Eschenbachium*<sup>17)</sup>, *Brieglebium*<sup>18)</sup>, *Ernestium*<sup>19)</sup>, *Klotzschi*<sup>20)</sup>,

13) Uno nunc defungar exemplo, quod in Comm. de locis Gelii Noett. Att. Lib. VI. cap. I. et Lactantii Epit. Inst. Div. cap. 29. Misenae, 1827. p. 19. proposui; posthac plura allaturus.

14) *Chr. G. Joecheri* Disp. de suspecta Livii fide. Lips. 1743. quae editionis Drakenborchiana Tom. VII. p. 230. sqq. continetur. Eiusd. Disp. de lactea Livii ubertate. Ibid. 1746.

15) *A. G. Miri*, Livius Augusti Caesaris adulator in historia de Cossi spoliis opimis caute legendus. Helmstad. 1767.

16) *S. C. Schwabii* Vindiciae credulitatis Livii, cuius ob saepius recensita prodigia insimulatur. Gotting. 1773.

17) *C. G. Eschenbachii* Diss. qua fides Livii defenditur aduersus Joecheri aliorumque objectiones. Lips. 1773.

18) *I. Christoph. Brieglebii* Diss. de Livio eiusque virtutibus. Coburg. 1778.

19) *A. Guil. Ernestii* Progr. de paneg. Livii eloquentia. Lips. 1787.

20) *I. G. C. Klotzschi* Diss. de diligentia Livii in enarrandis prodigiis recte aestimanda. Viteberg. 1789.

*Wachterum<sup>21)</sup>, Meierottonem<sup>22)</sup>, Schellium<sup>23)</sup>, Wyttenbachium<sup>24)</sup>, Hegewischium<sup>25)</sup>, Krusium<sup>26)</sup>, Wachsmuthium<sup>27)</sup>, Lachmannum<sup>28)</sup>) aliosque fecisse constat, subtiliter et copiose disputarent, vel singulos Livii locos, de quibus *Trekellius<sup>29)</sup>, Heumannus<sup>30)</sup>, Semlerus<sup>31)</sup>, Foersterus<sup>32)</sup>, Eck-**

21) *Chr. Fr. Wachteri* Progr. *T. Livius Patavinus a reprehensione superstitionis defensus.* Cliviae, 1792.

22) *I. H. L. Meierottonis* Progr. de candore Livii. Berol. 1796. Eiusd. Progr. de testimoniorum Livii fide. Ibid. 1797. Eiusd. Progr. de Livii arte narrandi. Ibid. 1798.

23) *C. G. Schelle*, *Welche alte klassische Autoren, wie, in welcher Folge und Verbindung mit andern Studien soll man sie auf Schulen lesen?* Leipzig, 1804. Vol. I. p. 240. sqq.

24) *Dan. Wyttenbach* de *Livio Historico*, in *Bibliotheca Critica Amstelodamensi*, Vol. III. Part. IV. p. 27. sqq. sive in eius Opusculis selectis ed. Friedemann. Vol. I. p. 212. sqq.

25) *H. Hegewisch*, *Ueber die politische Denkungsart des Livius*, in eius *Neuer Sammlung kleiner historischer und literarischer Schriften*. Altona, 1809. No. IV. p. 166. sqq.

26) *Chr. Krusii* Diss. de fide Livii recte aestimanda. Lips. 1812.

27) *W. Wachsmuths* *Aeltere Geschichte des römischen Staates*. Halle, 1819. p. 32. sqq.

28) *Fr. Lachmanni* Comm. de fontibus Historiarum T. Livii. Gotting. 1822.

29) *A. D. Trekells* *Anmerkungen über das erste und den Anfang des zweiten Buchs von Livius*, in eius *Kleinen deutschen Aufsätze, gesammelt und herausgegeben von Chr. G. Haubold*. Leipzig, 1817. p. 3. sqq.

30) *Christoph. Aug. Heumann* Emendationes plurium locorum Livii et Quintiliani, in *Ikenii Symbolis literariis*, Tom. I. Part. IV. p. 403. sqq. et in *Sylloge dissertationum*, Part. II. p. 487. sqq.

31) *I. S. Semleri* Epistola ad *Christoph. Aug. Heumannum*, qua respondet ad appendicem ad *Emendationes Livii*. Halae, 1750.

32) Locos quosdam Polybii a Latinis interpretibus Livio, Caesabono et Valesio perperam translatos proponit atque examinat *C. Christoph. Foersterus*. Lips. 1755.

33) *I. F. Eckhardi* Prolus. de comparatione Alexandri Magni

*hardus* <sup>33</sup>), *Martinius* <sup>34</sup>), *Schellerus* <sup>35</sup>), *Heinzius* <sup>36</sup>), *Uhlius* <sup>37</sup>), *Brendelius* <sup>38</sup>), *Müllerus* <sup>39</sup>), *Vossius* <sup>40</sup>), *Krausius* <sup>41</sup>), *Bredenkampius* <sup>42</sup>), *Boettigerus*, <sup>43</sup>) *Vincentius*, <sup>44</sup>) *Matthiaeus*, <sup>45</sup>) *He-*

*sum imperatoribus Romanis a Livio Lib. IX. cap. 17. facta. Ise-*  
*naci, 1760.*

34) *G. H. Martinii Coniecturae in aliquot Livii loca. Annaberg.*  
1762. Eiusd. Coniecturarum Livianarum Periculum I—III. Ra-  
tisbon. 1766—68.

35) *I. I. G. Schelleri Animadversionum criticarum in T. Livii*  
*libros Spec. I. II. Lubbenae, 1769. 70. quae inserta sunt ciuius Observationibus in priscos scriptores quosdam. Lips. 1785. p. 248. sqq.*

36) *I. M. Heinzii Observationum Livianarum Spec. I—III.*  
*Vinariae, 1771—77. quae relata sunt in eius Syntagma Opusculorum scholasticorum varii argumenti. Gotting. 1788. p. 182. sqq.*

37) *I. Christoph. Uhlius locos quosdam Livii breviter illustrat.*  
*Oettingae, 1773.*

38) *G. Chr. Brendelii Observationes in quaedam Livii loca.*  
Part. I—IV. Isebergae, 1787—90.

39) *Chr. Godofr. Mülleri Specimen Observationum Liviana-*  
*rum. Cizae, 1789.*

40) *Aenderungen verschriebener Stellen im Livius, von I. H.*  
*Voss, in Wiedeburgii Humanistischem Magazin, Vol. III.*  
Part. IV. p. 289. sqq. et Vol. V. Part. III. p. 239. sqq.

41) *I. Chr. H. Krause Erläuterung einer Rede des Camillus*  
*heym Livius L. V. c. 44. in Magazin für öffentliche Schulen*  
*und Schullehrer, Vol. I. Part. I. p. 59. sqq.*

42) *H. Bredenkamps Bemerkungen über einzelne Stellen des*  
*Livius, in eodem Magazin etc. Vol. I. Part. II. p. 444. sqq. coll.*  
Vol. II. Part. I. p. 187. sqq.

43) *C. A. Boettigeri Progr. de somnio Annibalis apud Liv.*  
*XXI, 12. Vinariae, 1792.*

44) *G. Vincentii de legione Manliana quaestio ex Liv. VIII,*  
8. desumta. Lond. 1792.

45) *Fr. Chr. Matthiae Einige Anmerkungen zum XXI. Bu-*  
*che des Livius, vom 1. bis zum 38. Capitel. Worms, 1793*  
Eiusd. *Untersuchung über einen etwas undeutlichen Punkt im*  
*XXII. Buche des Livius, in Rupertii et Schlichthorstii Ma-*  
*gazin für Philologen, Vol. I. p. 71. sqq. Eiusd. Bemerkungen*  
*zu den Livianisch-Polybischen Beschreibungen der Schlacht*  
*bey Cannae und der Belagerung von Syrakus. Frankf. a. M*

*roldus<sup>46</sup>), Benedictus<sup>47</sup>), Nyhoffius<sup>48</sup>), Bothius<sup>49</sup>),  
Eichhoffius<sup>50</sup>), Becherus<sup>51</sup>), Rostius<sup>52</sup>), Halbkartus<sup>53</sup>), Faehsius<sup>54</sup>), Walchius<sup>55</sup>), Lindavius,  
<sup>56</sup>), Büttnerus<sup>57</sup>), Langius<sup>58</sup>), Lehnerus<sup>59</sup>), Lach-*

---

1807. Eiusd. *Bemerkungen zu drey Stellen im Herodot, Cicero und Livius.* Ibid. 1810.

46) *I. C. Heroldi Obss. in Liv. VII, 37. et XXIII, 17.* Isleb. 1798.

47) *T. Fr. Benedicti ad quaedam Livii loca observationes. Part. I — VI.* Torgaviae, 1799—1808.

48) *Sam. Nyhoffii Diatribe critica in Livium, in Actis literariis Societatis Rheno-Traiectinae, Tom. III. p. 194. sqq. et Tom. IV. p. 300. sqq.*

49) *F. H. Bothii Animadversiones ad Livii libros quinque priores, in Commentariis Societatis Philologicae Lipsiensis, Vol. III. Part. I. p. 29. sqq. et in Bothii Opusculis criticis et poeticis.* Berol. 1816. p. 37. sqq.

50) *Nic. Godofr. Eichhoffii Animadversiones in T. Livii loca quaedam difficiliora. Part. I — III.* Wetzlariae et Giessae, 1803. 1807. et 1813.

51) *Fr. L. Becheri Observationes criticae ad quosdam scriptores utriusque linguae.* Lips. 1808. p. 72. sqq.

52) *Fr. Guil. E. Rostii Explicatio quorundam locorum T. Livii.* Lips. 1810.

53) *C. Guil. Halbkarti Tentamina Criseos in difficilioribus quibusdam auctorum veterum et Graecorum et Latinorum locis vel emendandis vel melius explicandis sumta.* Vratislav. 1812. p. 15. sqq.

54) *Godofr. Faehsii Observationes criticae in T. Livii Patavini loca quaedam, in eius Sylloge Lectionum Graecarum, Glossarum, Scholiorum in Tragicos Graecos atque Platonem etc.* Lips. 1813. p. 459. sqq.

55) *G. L. Walchii Emendationes Livianaee.* Berol. 1815.

56) *A. F. Lindavii Spicilegium criticum in Thucydidem et Livium.* Vratislav. 1817.

57) *Fr. Büttneri Observationes Livianaee.* Primislav. 1819. quibus adde eiusdem annotationes ad *C. L. Baueri Liviana Excerpta sive Chrestomathiam Livianam.* Lips. 1824.

58) *A. G. Langii Silvae Portenses, in Actis Philologorum Monacensium ed. Fr. Thiersch,* Tom. III. Fasc. I. p. 47. sqq.

59) *I. F. C. Lehneri Aliquot emendationes Livianaee et lectio-nes Catullianaee codicis nondum tractati, in iisdem Actis Philologorum Monacensium,* Tom. III. Fasc. II. p. 211. sqq.

*mannus*<sup>60</sup>), *Iacobsius*<sup>61</sup>), *Huschkiius*<sup>62</sup>), *Beckerus*<sup>63</sup>), *Zanderus*<sup>64</sup>), *Badenius*<sup>65</sup>), *Hellerus*<sup>66</sup>), *Forbigerus*<sup>67</sup>), *Wolffius*<sup>68</sup>) aliqui, quos enumerare longum est, brevius fusiusve commentati sunt,<sup>69</sup>) emendarent atque explicarent. Neque tam enixo et maxime laudabili horum virorum studio effectum est, ut omnes, qui *Livii Historiarum* libros obsident, librariorum errores sive codicium auxilio, sive coniecturarum ope corrigerentur, omnesque locorum intellectu difficilium obscuritates clarissima doctrinae atque eruditionis luce illustrarentur, sed multae etiamnum restant operis egre-

60) *Fr. Lachmanni* Comm. de die Alliensi aliisque diebus regiosis veterum Romanorum. Gotting. 1822.

61) *Fr. Jacobsii* Notae in T. *Livii Patavini Historiarum Lib. XXXIII.* in *Goelleri* libro supra not. 10. laudato p. 385. sqq.

62) *Ph. Ed. Huschkii* Diss. de privilegiis Feceniae Hispalae senatus consulto concessis. (*Liv. XXXIX*, 19.) Gotting. 1822.

63) *U. Becker*, Ueber *Livius XXX*, 25. und 29. oder: *Entwicklung der Begebenheiten, welche zwischen Hannibals Rückkehr nach Afrika und der Schlacht bei Zama liegen.* Ratzeburg, 1822. et eiusdem *Vorarbeiten zu einer Geschichte des zweiten Punischen Krieges.* Altona, 1823.

64) *Der Heerzug Hannibals über die Alpen nach den neuesten Untersuchungen dargestellt von C.L.E.Zander.* Hamburg, 1823. in quo libello p. 22. sqq. ceteri scriptores enumerantur, qui de eadem re exposuerunt.

65) *Tork. Badenii* Emendationes *Liviana*e, in *Seebodii Neuer Kritischer Bibliothek*, a. 1823. No. 2. p. 172. sqq.

66) *L. Helleri* Observationes *Liviana*e. Erlangae, 1824.

67) *Th. Sam. Forbigeri* Prolus. Animadversiones ad quaedam *Livii* loca continens. Lips. 1825.

68) *Fr. C. Wolffii* Observationes et Emendationes *Liviana*e. Part. I. II. Flenopoli, 1826. 27.

69) Libris libellisque, quorum titulos apposui, adde nostrum Specimen Observationum in auctores Romanorum classicos. Schneeberg. 1810. et cf. *Acta Seminarii Regii et Societatis Philologicae Lipsiensis*, Vol. II. Part. II. p. 443. sqq.

gii partes, quae artis criticae et hermeneuticae beneficio in integrum restitui ac diligentius explanari debeant.

Quum igitur Tauchnitius, typographus ac bibliopola celeberrimus et de re libraria meritissimus, mihi significasset, se id agere, ut, quemadmodum nuperrime Ciceronis opera, ita Livii quoque libros uno volumine comprehensos emittat et simul minorrem eiusdem scriptoris editionem in sex tomos divisam adornet,<sup>70)</sup> meque in huius consilii sociatem vocasset, oblatam mihi textus iterum recognoscendi provinciam eo libentius suscepi, quo aegrius ferebam, maiorem illam Livii editionem ante hos quinque annos a me inchoatam, necdum absolutam, qua Tafelium perverse abusum esse supra dixi, supina eorum, qui typothetarum specimina corrigen-  
da accepissent, negligentia permultis iisque gravissimis operarum peccatis esse deformatam. Haec ut emendarem, prima quidem cura fuit: sed maior altera, ut, quum in re critica neque turpe sit errorem fateri, neque verum videre quovis tempore contingat, lectionem vulgatam aliis locis, quos olim temere sollicitassem, in orationis contextum restituerem, aliis autem, quos olim intactos reliquissem, vel codicūm auctoritate fretus, vel conie-

---

70) Triginta quinque, qui supersunt, Livii Historiarum libri nescio an rectius cum Lallemando in septem tomos dividantur, quum Livium non primo tantum libro, sed etiam sexto, vigesimo primo et tricesimo primo praefatum esse constet, eumque idem alibi etiam fecisse appareat ex loco Plinii, qui in Praefatione ad Vespasianum Imperatorem, Historiae Naturali praemissa, haec scripsit: „Prositeor, mirari me T. Livium, auctorem celeberrimum, in Historiarum suarum, quas repetit ab origine urbis, „quodam volumine sic orsum: Satis iam sibi gloriae quaesitum, „et potuisse se desinere, ni animus inquietus pasceretur opere.“

cturae probabilitate ductus corrigerem; harum quoque mutationum, ut ceterarum omnium, rationem redditurus in annotationibus, quae, simul atque eas per otium absolvere licuerit, quarto editionis maioris tomo subiicientur. In praesentia enim, ut lectores, quibus in locis a Drakenborchii recensione discesserim<sup>71)</sup>, uno in conspectu videbent, pro huius editionis consilio satis habui, varietatem lectionum editionis Drakenborchianae adiungere, in qua, quum Liv. II, 12. *ira infensus* atque lib. XLII, 48. *quinquereme*, pro quo in editione minore *quinqueremi* legitur, non mutandum esse, ex Liv. I, 53. et lib. XXVI, 51. sero intellexerim, notas ad locos illos pertinentes: Cap. 12. *ira incensus*] *ira infensus*, atque: Ibid. *quinqueremi*] *quinquereme*, inducendas esse moneo, ne malevoli iudices, ut fit, editoris negligentiam carpant. Praeterea utrique editioni accesserunt deperditorum Livii librorum fragmenta, quibus auctore et suasore Niebuhrio secundum Epitomarum seriem in iustum ordinem redactis non solum addidi pretiosissimas illas libri nonagesimi primi reliquias, quas ante hos quinque et quinquaginta annos a Brunsio ac Iuvenatio et nostra aetate a Niebuhrio ac memet ipso ex codice Vaticano, eoque palimpsesto, editas esse constat<sup>72)</sup>, sed etiam inserui locum Tacit. Agric. cap. 10. de forma Britanniae, ab omnibus omnino ho-

71) In mutanda verborum Latinorum scriptura, de qua Grammatici certant, et adhuc sub iudice lis est, ea plerumque secutus sum, quae Grotfendus et Schneiderus in Grammaticis Latinis atque Lindemannus in Praefatione libelli: Selecta e poetis Latinis carmina. Lips. 1823. p. 5. sqq. hac de re praeceperunt.

72) De hoc fragmento cf. nostra Adumbratio notitiae literariae de T. Livii Patavini Historiarum Lib. XCI. fragmento, Romae in bibliotheca Vaticana reperto. Lips. 1813. et Elenchus editio-

rum fragmentorum editoribus praetermissum, qui ad Livii librum centesimum quintum referendus esse videtur. Denique, ne quid in hoc opere desideraretur, index rerum memorabilium, quae Livii Historiarum libris continentur, iussu Tauchnitzii, redemptoris honestissimi, ex editione Bipontina adiectus est; ita tamen, ut, omissis iis, quae ad Freinsheimii Supplementa pertinent, non solum plerisque Livii locis a me vel correctis vel supplementis accommodaretur, sed etiam, quum multis ille laboret vitiis, passim emendaretur.

Ceterum insigne maioris editionis ornamentum est Livii imago, de qua *Boettigerus* elegantissimus, cui illam referimus acceptam, haec doce, ut solet, et copiose commentatus est atque praefationi nostrae subiungi iussit:

„Livii imago num exstet adhuc ab antiquitate nobis tradita, iure in dubium vocatum est a sagissimis antiquorum monumentorum indagatoribus. Nec egregius talium rerum arbiter, *Viscontius*, et qui Iconologiam Romanam eius operi addidit, quum fatis interceptus telam inchoatam per texere non potuisse *Ennius Quirinus Viscontius*, *Mongez*, in his dignoscendis et explorandis acutissimus, ausi sunt in splendidissimo opere, cui titulus praefigitur: *Iconologie Grecque et Romaine*, Livii caput aere exprimere. Sed figuratur tamen ubique, nec Patavii, ubi in curia monumentum illi exstructum est multa arte et caelatura affabre compositum, vultus eius marmore expressus desideratur. Imminet cenotaphio, quod

---

num Fragmenti Liviani ex codice Vaticano eruti, Tom. I. p. 66.  
sqq. editionis nostrae maioris.

„aere expressum cum orbe erudito communicavit  
„Drakenborchius in Tomo septimo et ultimo edi-  
„tionis Drakenborchianae, qui complexus est ap-  
„paratum Livianum, p. 12. Scilicet saeviit iam olim  
„Caius Imperator in scripta et imagines magni hi-  
„storici, Suetonio teste in vita Calig. c. 34. Nil mi-  
„rum igitur, vera vultus eius lineamenta illo iam  
„tempore abolita paullatim intercidisse. Caput Li-  
„vii, quod vulgo editionibus eius praefigitur, e Pa-  
„tavino illo prodiisse, consentaneum est; id quod  
„facile apparebit omnibus, quibus haec inter se com-  
„parare otium est. Enimvero fabulosa esse et com-  
„mentitia, quae de corpore Livii ad aedem sacram  
„St. Iustinae ineunte saeculo quinto decimo in ca-  
„psa plumbea reperto et de inscriptionibus Romae  
„repertis passim commemorantur, nemo emunctio-  
„ris naris hodie dubitat et dubium movit iam *Ursa-*  
„*tus* in *Monumentis Patavinis* p. 29. Venditent Pa-  
„tavini civem suum et magnifica de monumentis  
„eius verba faciant. Sed haec omnia in controver-  
„siam vocari posse, monuit iam *Keysslerus* noster  
„ineunte saeculo octavo decimo in *descriptione pe-*  
„*regrinationis suaे bonae frugis plenissima, Neue-*  
„*ste Reisen durch Deutschland — Italien u. s. w.*  
„(editionis novae a Schützio adornatae Hannove-  
„rae, 1751.) p. 1066. ut recentiores peregrinatores  
„usque ad *Thierschium V. C.* silentio praetermit-  
„tam. Circumspiciendum tamen nobis fuit caput  
„qualecunque Livii, quum Tauchnitius, redemptor  
„huius editionis honestissimus et de re libraria per  
„universam Germaniam immobilibus literarum for-  
„mis meritissimus, editionem pararet uno volumi-  
„ne formis quaternis omnes magni historici libros,

„qui aetatem tulerunt, complexam, precibusque ab  
„editore, Kreyssigio, Viro in hac palaestra exerci-  
„tatissimo, contenderet, ut titulo *imago Livii* praec-  
„poneretur. In eligendo igitur capite, quod *Livii*  
„vultum referret, magis id consecrandum esse nobis  
„visum est, quod usus, hic quoque magister, ad  
„nos propagavit, tralatitium scilicet usuque tritum.  
„Tradita igitur fuit chaleographo, quam delinearet  
„et aeri insculperet, *imago Livii* in Mausoleo Pata-  
„vino collocata, quam primum publicavit *Bellorius*  
„in Rhetoribus illustribus n.88. a *Jacobo Gronovio* in  
„Thesauro Graecarum Antiquitatum inde derivata,  
„de qua, quae colligi potuerunt, congesit et proba-  
„biliter disputavit *Vir egregius*, in texendis eius-  
„modi catalogis versatissimus, *Gurlittus*, in disser-  
„tatione, quam vernaculo sermone composuit: *Ioh.*  
„*Gurlitt's Versuch über die Büstenkunde* (Magde-  
„burgi, 1800.) n. 189. p. 62. Operibus ibi laudatis ad-  
„dendum est volumen a librario Lugdunensi *Van*  
„*der Aa* confectum: *Effigies virorum ac feminarum*  
„*illustrium*. *Lugd.* Bat. in fol. Hanc igitur si con-  
„templeris, Lector benebole, cogita vetus illud di-  
„ctum, *non in imaginibus, sed in scriptis perdura-*  
„*re ingenia.*“

Haec praefatus id maxime exopto, ut, quicquid in  
haec quoque *Livii* editione, quam *Tauchnitius* nec ope-  
rae nec impensae parcens et accuratissimam et nitidissimam esse voluit, ad corrigendos librariorum er-  
rores sive codicum, sive coniecturarum ope adiutus  
contuli, viri docti et artis criticae periti, penes quos  
solos huius rei arbitrium est, aequi bonique faciant.

Scripsi Misenae, prid. Cal. Maias, ccccxxviii.